



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 6. Cælati operis, quo sacra ædes conuerstitur, descriptio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

*Cælati operis, quo sacrosancta Ædes vndique vestitur, descriptio.*

*Cap. VI.*

**E**odem tempore Lauretanae Domus cultus, & propagatus foris, & amplificatus domi. Paulus Pont. celeberrimum illud Pontificalis magnificentiae monumentum ab Iulio destinatum, inchoatum à Leone, effectum à Clemente, ipse non quidem omni ex parte perfectum (de erant quippe statuarum pleraeque, & aeneae valuae omnes) sed tamen eo perductum, vt absolutum videri posset, aperuit anno huius seculi XXXVIII. opus enimvero egregium ac mirabile, cui noua hæc operum magnificentia quicquam adhuc in pari mole adæquare non potuit. Satis constat ex rationum libris, in id opus XXII. aureorum millia infumpta, exceptis viginti statuis egregie factis, & valuis aeneis quatuor pulcherrime cælatis, quæ pene tantidem steterunt. Quadratum est ornamentum sacram vndique Virginis cellam amplectens: totum ferme e candido marmore solido, ac mira arte cælato. Patet in longitudinem pedes ferme quinquaginta, in latitudinem circiter triginta: altitudo latitudini ferme par. Vniuersum opus è Carrariensi marmore candoris eximij constat, striatis opere Corinthio distinctum columnis, quarum senæ longiora latera adornant, quaternæ breuiora. Imam partem fascia pedalis e marmore Luculleo cingit, stereobatae locum obtinens. Surgunt inde stylobatae coronati, qui apte spatia distinguunt. In spatijs stylobatisque, vel gentilia, adscitave Leonis Pontificis insignia, vel virtutum argumenta cælata visuntur, figillis, qua pedalibus, qua cubitalibus mire scite, venusteque factis. Supra stylobatas columnæ dispositæ binæ ad singulos angulos: in longioribus autem lateribus etiam binæ

binæ in medio, binis videlicet ianuis æquo spatio interie-  
ctæ. In ipsis porro intercolumnijs bini item signorum suis  
loculamenti in clusorum ordines deinde adiecti: vnus in  
ferne ad bases, sacrorum Vatum: alter superne ad epistylia  
Sibyllarum Christi, aut Deiparæ Virginis ortum vaticini-  
antium. Ipsa loculamenta porphyreticis tabulis incru-  
stata, opere magnifico. In maioribus spatijs inter colum-  
narum scapos, tabulæ ingentes è candido marmore solido  
integroque vbi nobilium B. Mariæ factorum argumenta,  
simulacris naturalis fere staturæ eminentibus, pulcherri-  
me cælata miraculo sunt. Epistylia porro columnarum  
egregie facta opere Corinthio multiplex corona cingit,  
cui subiecta spatia binæ aquilæ tenentes mordicus encar-  
pos restesque pomorum, ac fructuum egregie cælata, inter-  
iectis leonum rostris, adornant. In summo denique pul-  
cherrimus columellarum ordo coronatus, angelorumque  
eminentium figuris concinne venusteque distinctus, qui  
vniuersum opus circumiens pro coronide est: ambulatio-  
nemque vndique peruiam præbet, ad suspendenda voti-  
ua vexilla, quæ subinde B. Virgini afferri solent. Pluri-  
bus describere pretium operæ nõ duco, cū spectare liceat.  
Opus omnino visendum, cuius eximiam pulchritudinem  
nemo concipere animo potest, qui non oculis ante subie-  
cerit. Ergo vt apertum sacrosanctæ cellæ ornamentum  
longe pulcherrimum fama vulgavit, confestim maximi  
Lauretum fieri accolarum, peregrinorumque conuersus.  
Quippe artifices de industria illius ædificij fabricam, &  
quoad perfectum esset opus, velis obductis quam maxi-  
me occultauerant, vt magnificentius deinde spectaretur,  
cum absoluti operis pulchritudo recens, atque integra ad  
mortalium oculos perueniret. Itaque infatiabili illa spe-  
cie, & ad rationem, solertiamque præstantissima, cun-  
cti auide oculos, animosque pascebant suos.

Tem-